



TRAVAUX MYCOLOGIQUES

dédiés à

R. KÜHNER

Numéro spécial du Bulletin de la Société Linnéenne de Lyon
43^e année ————— Février 1974

RAMARIOPSIS SUBARCTICA PILAT IN MONTIBUS CORCONTICIS SUDETORUM LECTA

par Albert PILÁT

Résumé. — *Ramariopsis subarctica* Pilát, décrit des régions péri-arctiques (district de Varanger, Norvège septentrionale), a été trouvé aussi en Europe Centrale (Monts des Géants, Sudètes) dans un site où plusieurs éléments de la flore phanérogamique sont considérés comme reliques glaciaires.

Anno 1970 speciem conspectam generis *Ramariopsis* (Donk) Corner in turfosis subarcticis prope sinum Varangerboten Maris Borealis Gelidi (70° 15' lat. borealis) collegi et nomine *Ramariopsis subarctica* Pilát designavi (A. PILAT 1971). Species haec sporis conspecte magnis, 6-8 x 5-6 μ , distincte aculeolatis et carposomatibus ochraceis, 20-30 mm altis, sat ramosis insignis est et ab omnibus speciebus affinis discrepat.

Cum materiam novam *Clavariacearum*, accumulata in herbario Musei Nationalis Pragensis, perscrutavi et determinavi, unum exsiccatum adhuc indeterminatum, quod Doctor Carolus Komárek, ante brevem tempus de vita decessus, in iugo Montium Corconticorum sive Montium Gigantum (Sudetae) ad ripam lacus turfosi directione austro-orientali a deversorio « Domus Albis = Labská bouda » dicto ca 1370 m s.m. in sphagno vivo 24. IX. 1955 collegit, in manu habui. Hic fungus cum specie boreali-norvegica identicus est. Specimina *Ramariopsis subarctica* corcontica in sphagno vivo evoluta sunt, qua de causa partem carposomatis inferiorem paulum longiorem quam norvegica habent. Specimina norvegica ad turfum emortuum collegi, qua de causa modo regulariori evoluta sunt et habitum magis globosum habent. Modo microscopico ambo fungi optime concordant; fungus corconticus etiam sporas 6-8 x 5-6 μ , fere globosas habet.

Carposomata corcontica 20-30 mm alta et 15-20 mm lata, subglobosocaestiposa ochracea, exsiccata pallidiora sunt et basi stipite brevi, usque ad 20 mm elongato, in sphagno vivo ad muscum sublateraliter insident. Ramificatio 3-4 x modo dichotomico vel trichotomico constat. Rami ultimi subapplanati et ut totum carposoma glabri sunt, plerumque modo dichotomico

divisi, crassi, obtusique. Caro sat elastica, etiam in statu exsiccato parum fragilis. Cystidia nulla. Hyphae monomiticae. Sporae globoso-ovoideae usque subglobosae, apiculo parvo, provisae, distincte irregulariter aculeolatae, $6.8 \times 5.6 \mu$. Specimen in herbario Musei Nationalis Pragae asservatur : PR 704245.

Natura montium Corconticorum ex parte relictum e tempore glaciali representat. E grege plantarum phanerogamarum exempli gratia mentionem facio : *Rubus chamaemorus* L., *Pedicularis sudetica* Willd., *Saxifraga nivalis* L., *Sphagnum lindbergii* Schimp., *Carex bigelowii* Torr. ex Schw. et *Alchemilla nebulosa* Samuelson. Qua de causa *Ramariopsis subarctica* Pilát optime in societatem plantarum commemoratarum convenit et typum fungineum maxime characteristicum borealem representat. Non dubitto, quin haec species ad organismos maxime memorabiles et insignes boreali originis pertineat, qui in montibus Corconticis Sudetorum ut reliquiae e tempore glaciali usque ad tempus nostrum conservati sunt.

Ramariopsidi subarcticae Pilát e speciebus affinibus *Clavaria luteo-ochracea* CAVARA [= *Clavulinopsis luteo-ochracea* (CAVARA) CORNER, = *Ramariopsis luteo-ochracea* (CAVARA) PETERSEN] proxima esse videtur. Sed species nostra dimensionibus et praecipue sporis majoribus, distincte aculeatis discrepat.


Clavariam luteo-ochraceam primum CAVARA 1892 ad exemplaria in sphagnis vasorum filicum in calidario Horti ticinensis, Italiae lecta descripsit et sporas $4.5 \times 3.4 \mu$ magnas, maturitate subillime verrucosas, ovoideo-ellipsoideas usque subpiriformes observavit, COKER (1923) et CORNER (1950, 1970) typum CAVARAE iterum investigabant et sporas laeves, $4.4, 8 \times 3.3, 5 \mu$ magnas explorabant. PETERSEN iterum typum CAVARAE studebat (1966) et sporas sub magnificatione alta (2000x) sub microscopio cum « phase contrast » minutissime aculeolatas, $3.5-4.4 \times 2.2-3.0 \mu$ magnas observavit.

COKER (1923) specimina in America boreali (North Caroline, New York) lecta ut parum ramosa, solum $6-13/25$ mm alta describit, Sporae habent minutas, laeves, ovatas vel subpiriformes, $3.5 \times 2.2 \mu$ (BURNHAM N° 39, N.Y.), $3.5-4.5 \times 2.2-3 \mu$ (COKER N° 16 a N.Y.) et $3.7-4.5 \times 2.5-3.4 \mu$ (COKER N° 2674, North Carolina). In silvis ad terram lecta sunt.

Tempore ultimo Marcel BON (1970, p. 180) hanc speciem in Gallia boreo-orientali uno loco XI. 1968 in graminosis solo calcareo (Xerobromion; Val aux lépreaux à Grand-Laviers vers Buigny-St-Maclou) in zona maritima Picardiae collegit. Sporae in specimine commemorato late ellipsoideas, distincte apiculatas et subillime aculeolatas, $4.5, 5 \times 3.5-4.5 \mu$ magnas observavit. Descriptio carposomatum M. BONII non absolute cum descriptione CAVARAE convenit.



1) *Ramariopsis subarctica* Pilát. Specimen exsiccatum, quod in Montibus Corconticis Bohemiae cel. Dr K. Komárek 24. IX 1955 legit. ($\times 3$).



2. *Ramariopsis subarctica* Pilát. Sporae, Auctor ad nat. del. ($\times 2\,000$).

Ex adnotationibus citatis sequitur ut *Clavulinopsis* vel *Ramariopsis luteo-ochracea* species adhuc male nota est, sed ut certe a *Ramariopsis subarctica* Pilát discrepat. Species ultime commemorata sporis distincte majoribus et distincte aculeatis, magis globosis, carposomatibus magis ramosis et majoribus et distributione subarctica vel alpina locis turfosis insignis est.

LITTERAE

- BON M., 1970. — Flore héliophile des macromycètes de la zone maritime Picarde. Bull. Soc. mycol. France, 86 : 79-213.
- CAVARA F., 1892. — Fungi Langobardiae Exsiccati N° 64.
- COKER W. C., 1923. — The clavarias of the United States and Canada. Univ. North Carolina Press, 209 p.
- CORNER E. J. H., 1950. — A monograph of the *Clavaria* and allied genera. Ann. Bot. Mem. i, pp. I-XV et 1-740, tab. color. 1-16.
- CORNER E. J. H., 1970. — Supplement to « A monograph of *Clavaria* and allied genera ». Beihefte zur Nova Hedwigia, Heft 33; Verlag von J. Cramer, Lehre; 1-299.
- PARMASTO E. CH., 1965. — Opredjelitelj rogatikovykh gribov SSSR. Akademia nauk SSSR. Botanitscheskij Institut im. V. L. Komarova, 1-168.
- PETERSEN R. H., 1964. — Notes on clavarioid fungi II. Corrections in the genera *Ramariopsis* and *Clavaria*. Bull. Torrey. Bot. Club, 91 : 274-280.
- PETERSEN R. H., 1966. — Notes on Clavarioid fungi V. Emendation and additions to *Ramariopsis*. Mycologia 58/2 : 201-207.
- PETERSEN R. H., 1968. — The genus *Clavulinopsis* in North America. Mycologia Mem. 2 : 1-39.
- PILÁT A., 1958. — Uebersicht der europäischen Clavariaceen mit besonderer Berücksichtigung der tschechoslowakischen Arten. Acta Musei Nationalis Pragae 14 B, N° 3-4, pp. 129-255, tab. 17-48.
- PILÁT A., 1971. — Species nova turficola generis *Ramariopsis* /Donk/Corner : *Ramariopsis subarctica* sp. nov. Ces. Mykol. 25 (1) : 10, cum tab. albonigra I.

Narodny Museum V Praze. Mikologické Oddelení
Praha 1 Nove Mesto, Václavské náměstí 1700
(Tchécoslovaquie)

SOCIETE LINNEENNE DE LYON
33, RUE BOSSUET — 69006 LYON

Commission paritaire n° 52 199
Le gérant : Marc Terreaux